



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI, BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.



Erg-18

Wesenfeld A: 1) De natura universalis
" " " 2) De iuria hominis in se
" " " 3) De forma naturali syllogismi,

11

DISPUTATIO METAPHYSICA,
DE
NATURA
UNIVERSALIS,

Quam,
DEO T.O.M. clementer annuente,

Nobilissima Facultate Philosoph.

In Alma, quæ ad Viadrum est, Academiâ,
Concedente,

In Acroaterio Philosophorum Majori,
Publicæ ventilationi subjicit.

P R A E S E S

ARNOLDUS WESENFELD,

BREMENSIS,

PHILOSOPHIÆ MAGISTER,

R E S P O N D E N T E

JOHANNE HENRICO BÖCKER,

Mæno-Francofurt.

LL. atqve Philosoph. Studioſo,

D. VII. Novembr. An. M DC XCI.

Francofurti ad Oderam, Typis JOHANNIS COEPSELII, Acad. Typogr.

ADIXI TATUM OTTAWA

39

АДУТАЯ СИЛАСИОННІЙ

DEPT. OF EDUCATION MONTGOMERY ALABAMA

Diplopodidae *Staphylinidae* *Dermestidae*

Si misterio. So misterio ha surp. cuál es el

Upsilon *Aegeanum* *Euphrat*
Sacrae Scripturæ *Philologorum* *Musei*
Secundo *Catena*

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZYHALLE

LEIPZIG UNIVERSITÄTSCHEIDEN. P.R.F.K.
LEIPZIG UNIVERSITÄTS-VERLAG

ПАЛАДИИ. ЭЯЗ
ЯЭТСІДАМ ЭНПОГОЛІЦ

ФИ 1951.40

Feb 1951 40

УЧЕБНИК ПО ГИГИЕНЕ
ДЛЯ УЧЕБНЫХ ЗАВЕДЕНИЙ

Ornibus dignisq; evps. al. I.

0. V. I. Noveinup. Yu. MDC XCI

Digitized by srujanika@gmail.com



Illustriſſimo atq; Generoſiſmo Domino,

**DN. SYLVESTRO
JACOBO
de
DANCKELMAN,**

*Sereniſſ. atq; Potentissimi
ELECTOR. BRANDENBURG
CONSILIARIO STATUS*

INTIMO,

Ac

*DICASTERII ELECTORALIS, & CON-
SISTORII SUPREMI,
PRÆSIDI EMINENTISSIMO,*

**DOMINO ac MÆCENATI SUO
BENIGNISSIMO.**



ILLUSTRISSIME atq; GENERO-
SISSIME DOMINE,

MÆCENAS BENIGNISSIME.

ELEGATOR BRANDENBURG
CONSTITUTUS

Benignus ille Tuus ple-
nusqve humanitatis animus,
& singularis, qvo Musarum cul-
tores recreare confrevisti favor,
qvo etiam mea erigere studia, &
ad audendum aliquid, plenis Be-
nevolentia vocibus incitare præ-
sentem benignissimè voluisti: quem tacitâ hucusqve
veneratione colui, fecerunt, ut primos hos meos pu-
blicos in Philosophicis labores, ceu meæ in Te pietatis
dovoti-

8

devotiqve obseqvii pignus ac documentum, Tibi,
MÆCENAS MAXIME, offerre in animum induce-
rem. Idqve eò magis, qvòd ingenii operum Te-
& Judicem Gravissimum, & Censorem Æqvissimum
jam tum cognoveram. Adeoqve lucem hæc nostra,
qvam à se ipfis sperare haud poterant, à limatissimo
illo judicio Tuo; patrociniumqve ab insigni illa, qvâ
polles, autoritate Tua sibi pollicerentur. Accessit sum-
ma illa, qvâ apud SERENISSIMUM PATRIÆ PAREN-
TEM flores, gratia, grandibus illis Tuis in publicam & li-
terariam rem meritis parta, cui me studiaqve mea per
Te commendari exoptabam. Haud ignoro eqvidem
graves illas curas Tuas, qvibus pro publicæ rei salute
Te impendis; verùm nescio qvomodo se delectant
interdum magni animi & deliciantur, cùm ex celsiori
illo fastigio respiciunt qvandoqve Musas non uno &
simplici nexu suas. Parùm exasciata verò hæc no-
stra licet, & minùs digna sint, qvibus lustrandis hoc
gravioribus negotiis sacratum tempus impendas, non
aspernabere tamen conatus hos nostros, cùm simul
cum hac *Doctrina de Universali* universum me studia-
qve mea universa Tibi tradant. Adjeci specimina a-
lia duo, ex Logicis unum, ex Ethicis alterum, ut de me
studiisqve meis, qvæ Tibi iterum iterumqve commen-
do, aliquod certè judicium ex his formare posses. Qvi,
modò occasio mihi suppetat, id porrò omni cura-
enitar, ut claris distinctisqve conceptibus, fusiùs & pa-
rùm liqvidò à plerisqve tradita, adumbrem. Tu vero,
MÆCENAS MAXIME, excitabis favore Tuo studia mea,
meqve Tibi commendatum habebis, quem laudatis-
simæ illius Tuæ in ingenuos Musarum cultores Bene-
volentiae fiducia ad gravissima qvævis audenda incen-
det

det. Qvod si Te votis meis facilem præbueris, illud
certè omni animi contentione allaborabo, ut me, stu-
dia, diligentiamq; meam, tum summissam erga Te,
MÆCENAS MAXIME, observantiam, promptumq; obse-
quium meum Tibi omni tempore approbem. Divi-
num verò Numen Te, **ILLUSTRISSIME DOMINE**,
salvum, sospitem, florentem, & omnigena felicitate bea-
tum usq; præstet, faciatq; ut Brandenburgici No-
minis gloria, Academiæ hujus, omnisq; adeo rei li-
terariæ incrementum, consiliis, patrocinio favoreq;
Tuo porrò augeatur, ornetur. Ita sincero pietatis af-
fectu precatur.

TIBI

ILLUSTRISSIME DOMINE,
MÆCENAS BENIGNISSIME,

Devotus
Arnoldus Wesenfeld,
Philosoph. Mag.



SECTIO I. Præliminaris.

SUMMARIA.

§. I. Universalia in causando, representando, significando, effendo & prædicando. §. II. Universalia ante rem in re & post rem, item ante multa, in multis & post multa. §. III. Universale Metaphysicum & Logicum. §. IV. Utilitas & necessitas doctrinae Universalium.

Niversalis naturam præsenti dissertatione explicaturis, vocis homonymia exponenda statim in initio est. Quatuor modis eam præcipue accipi notant Philosophi, scil. pro universalis in causando, representando, significando, effendo, & quod hinc consequitur, prædicando: conf. Franc. Abra de Racionis in Summa Philos. Logices Tr. I. S. I. Colleg. Complut. in Arist. Dial. & Philos. Nat. Disp. III. in Proœm. Francisc. de Oviedo in Cursu Philos. Log. Controv. III. Punct. I. Murcia in Cursu Philos. Disp. I. Qu. I. Franc. Bonæ Spei in Comment. in Univ. Arist. Philos. Log. Tr. II. Disp. I. Resol. II. Dub. I. §. 19. Fr. Suarez. Metaph. Disp. D. VII. S. VIII. n. 2. Clemens Timplerus in Syst. Metaph. L. I. c. III. Probl. 19. Derodon. in Oper. Philos. P. II. Log. Tr. I. c. I. n. 2. Geilfusius Contempl. in Primam Philos. Contempl. X. §. VII. n. 37. Gilbertus ab Isen-

Disputatio Metaphysica

dorn. in *Effatis Philosoph. Centur. I. c. III. n. 64.* & B. Grebenius noster, Vir & in *Philosophia acutissimus*, & in *Theologia solidissimus*, in *Colleg. Metaphys. Disput. XI. S. I. §. 1.* Verum ut recte notant Complut. cit. loc. Universalia in essendo, & prædicando tantum simpliciter & absolutè Universalia appellanda sunt; cum cetera enumerata entitativè & simpliciter sint singularia, ut per se constat, solumque dicantur universalia, quia causant, repræsentant, vel significant plura, quod est esse universale secundum quid. Ita Sol causa quædam universalis productiva variarum rerum, per se tamen corpus quoddam singulare est; sic imago ovi in mente concepta, ovorum quidem omnium speciem externamq; figuram menti repræsentat, sed per natu-ram tamen una tantum imago est. Termini universales omnis nullus &c. in propositionibus quidem, quibus adjiciuntur, respectum ad plura significant; at absolutè, cum Syncategorematu tantum sint, simul cum aliis significantia, spectari vix possunt.

Distingvi etiam solent universalia, in universalia ante rem, in re, & post rem, ante multa, in multis, & post multa, vid. Timplerum, & Isendorn. cit. loc. It. Jac. Zaratellam. in *Oper. Log. L. II. c. I.* Ubi per universalia ante rem & ante multa, intelliguntur Ideæ Platonicæ in mente divina conceptæ, ad quam res singulas efformatas ille putabat. Universalia in re, & post rem, item in multis, & post multa, cum universalibus in essendo, & prædicando coincidunt, de quorum ratione nunc porro videbimus.

§. III.

Hoc autem universale in essendo, *Metaphysicum*, alterum

erum Logicum appellant, vid. Complut. cit. l. it. Disp. III. qu.
VI. §. IV. n. 64. Svarez. c. l. n. 3. Derodon. cit. loc. n. 3. & Ar-
riagam in Cursu Philos. disp. IV. Log. S. I. Universale Metaphy-
sicum notat naturam universalem, qvæ multis eodem mo-
do inest, Logicum designat eandem naturam universalem,
qvatenuis ob hoc tò inesse prædicari etiam de multis
potest. Ex qvo constat fundamentum universalis Logici
in Universali Metaphysico latere; qvia enim natura il-
la universalis seu communis rebus pluribus re vera inest,
etiam de iis prædicari rectè potest, v.g. de Petro & Paulo
dici & prædicari potest, qvod sint homines, eò qvod hu-
manitas, seu humana Natura utrisq; ex æqvo inest, & com-
petit. Atq; in Logicis qvidem tradi de universalibus de-
bet, qvia sine illis nec prædicabilium doctrina intelligi,
nec definitiones, genere & differentiâ, ceu universalibus
constantes, formari, nec propositiones universales ipsaq;
Syllogismorum doctrina rectè potest perspici, conf. Arria-
gam in Proœm. cit. Disp. Interim exacta tractatio de
universalibus propriè pertinet ad Metaphysicam, eò qvod
Metaphysica tractet de iis qvæ sunt communia corporibus &
spiritibus, qualia sunt Universalia; & cum ad Metaphy-
sicam propriè pertineat agere de Unitate, qvæ est proprie-
tas Entis, debet etiam agere de Speciebus Unitatis scil. de Uni-
tate universalis, & singulari, ut recte monet Derodon. in
Proœm. P. II. Log. Unde & Metaphysicæ Disputationi ti-
tulum de Universali præfigere nulli dubitavimus. Atq;
de hoc universalis nobis in præsenti sermo erit. De Uni-
versali Logico tantum qvædam interspergentes, qvatenuis
ea, qvæ insunt rebus, prædicari etiam de illis solent.

§. IV.

Utilitas & Necessitas doctrinæ universalium facile patet, non tantum ex illo usu, quem in Logicis ea præstare monuimus §. super. Sed etiam quia nihil scientificè potest cognosci aut apprehendi, nisi sub ratione universalis. Cùm enim Scientiæ debeat esse de rebus perpetuis & necessariis, res verò singulares universæ in continuo motu & fluxu sint, ex his Scientia comparari non potest, nisi quatenus abstrahendo à conditionibus individuantibus naturam ipsarum generatim, universalì quodam conceputu mihi repræsento, conf. Contemplat. Geilfusii in Universi. Primam Philosopb. Contempl. X. §. VII. n. 39. & Müriciam in Cursu Philos. Disp. I. qv. I. Unde Cratylus, Heraclitus aliiq; Philosophorum, qui teste Aristot. I. Metaph. c. 6. & Lib. IV. c. 5. Naturas Universales esse negaverunt, iidem Scientias omnes abstulerunt, nec quicquam certò sciri posse affirmarunt. Subnixi fundamento, quod Thom. de Aquino 4. Metaph. Lect. 14. suppeditat, quia de re quæ mutatur, in quantum mutatur, nihil potest verè affirmari. Sed hæc sententia absurditate sua se ipsam facilè confutat, interim eam confutantem, vid. Franc. Abra de Raonis in Summ. Philos. Log. Tr. I. S. II. Eleganter etiam eosdem ex Galeno refutat Isendorum Log. Peripat. L. I. c. III. qv. 4. Galenus asinus stupidiorē affirmat, qui universalia tollit. Asinus viso uno camelō statim fugit. Et viso alio adhuc fugit, eo quod Naturam eandem sibi inimicam in utroq; cognoscit. Et tamen intellectu vacat, qui Universalium sit Architectus. Novit ergo, & asinus camelorum genus, illudq; ab hominum & boum genere distinguit. Unde, inquit idem Galenus, si asinus idem nunquam alium hominum vidisset, præter dominum aut curatorem suum, tamen si quis fortè aliis in viā se se ei objicerit, non continuò fugeret, sed securus transiret & intueretur.

De Natura Universalis.

retur. Quasi ex hominum genere & domino suo similem esse sciret, quamvis dominum non esse noverit. Adveniente enim domino longe aliter afficitur. Si quidem & caudam quatit & blandius intuetur, micat auribus & more suo rudit. Ergo non solum genus à genere, verum etiam individuum ab individuo ita secernit, ut latentem in ista naturam aliquo modo perspicere videatur. Cùm igitur & irrationales creaturæ, suo quoddam modo, de quo nunc operiosus haud disquirimus, Universalia apprehendant, homines certè ratione prædicti, si in singularibus Universalia haud agnoscere voluerint, infra brutorum naturam se ipsi deprimunt. Diversa ratio est in naturis illis singularibus, de quibus unum tantum existit individuum, quas *Species Monadicus* appellare consuevere: quales, sol, luna, &c. Horum enim scientifica notitia datur, vel quia sola sunt, nec per innumera alia individua diffusa, vel quia sub ratione Universalis considerari possunt, quantum Deus, si plures soles vel lunas conderet, ejusdem illæ rationis forent: adeoque natura eorum, abstrahendo ab eo quod individua sunt, considerari possit: conf. Löberum *Fasc. Disp. Log. D. II, §. 9.*

SECTIO II.
Constitutiva.

SUMMARIA.

- §. I. *Variae definitiones Universalis Metaphysici.* §. II. *Nostri definitio allata.* §. III. *Eadem confirmata, Derodon, Mendoza & Bertlingius pro eadem adducti, Suarez conciliatus.*
§. IV. *Allata §. I. definitiones cum nostra conciliata.*

His præstructis ipsa jam Universalis Metaphysici natura consideranda nobis est. Variè illam definitam descriptamq; tum apud veteres, tum recentiores videre est. Aristot. *I. I. Posteriorum c. 18. & 20.* Universale hoc vocat *Unum in multis, & de part. Anima c. 4.* Uni-

versa-

3
Disputatio Metaphysica

versalia dicit: *que multis in sunt. Item 7. Metaphys. c. 13. Universale dicatur. Quod sua natura pluribus inesse natura est.* Franc Bonze Spei. *Comment. in Univ. Arist. Philos. Log. Tr. II. D. I. Dub. III. Resolut. I.* Universale in essendo sive Metaphysicum definit, quod sit Ens reale, completum, unum &c. aptum inesse multis cum sui multiplicatione. Mendoza Vol. I. Disp. à Summul. ad Metaphysicam diff. Log. III. D. I. §. 2. Universale in essendo est: *Unum existens in multis.* Franc. Abra de Racionis in Summa Philos. Tr. I. S. III. Unum aptum inesse multis univocè & divisim. Timpler. in System. Metaph. L. I. c. III. Probl. XVII. Ens Universale est, quod essentiam habet multis (scil. inferioribus sibi g. subjectis) communicabilem, seu quod in multis per essentiae communicationem existere apium est. Johan. Bertlingi, Professor Groningani, in Seminario Transnatur. Sapient. T. I. Tr. III. c. II. Panet. I. §. 4. Unitas universalis (seu Universalitas) est, quia natura quecumq; ita una est, ut secundum eam rationem, quae illius conceptu & definitione exprimitur, pluribus communicari possit per sui multiplicationem, sive communicari possit pluribus inferioribus, ut quod. Derodon tandem in Oper. Philos. Log. P. II. Tr. I. c. II. §. 27. Universale appellat, res similes, vel res similes identificatas cum pluribus.

§. II.

Cum autem definitiones hæ Universalis & diversissimæ videantur, & quædam earum non parùm difficiles esse, nos ex his perspicuum & intellectu facilem conceptum ad Universalis Metaphysici eruere, atque dein ostendere conabimur, has definitiones tantum non omnes coincidere, nisi quod mage perspicuis verbis tradi possint. Dicimus igitur, præeunte fermè B. Grebenitzio Nostro Collegii Metaph. Disp. XI. Sect. I. §. 3. Universale consistere in similitudine naturæ, adeoque Universalitatem in abstracto esse, similitudinem naturæ in pluribus, seu quod perinde est, plurium in una natura & motione istius inter se convenientiam. Similitudinem dicimus, identificationem, seu ut plura eandem naturam induant. Plurum etiam requirimus, vel actuitalia, quemadmodum Equus, Ovis, Leo plura sunt, quæ in una natura, bruti similia sunt, vel identificantur, vel apta saltem ut existant, sic

Ac Adamus cùm solus esset, nihilominus similitudinem naturæ possidebat, non actu qvidem existentem, attamen aptam, qvæ in pluribus suo tempore se exsereret. Et species monadicæ itidem solitariæ qvidem sunt, ut *sol, terræ, &c.* convenienter, seu in eadē natura similes futuræ essent: conf. qvæ ex Suarezio adducuntur, articulo proximè seqq. Diximus etiam similitudinem naturæ, ut distingvatur similitudo essentialis, qvæ proximè Universalis naturam constituit, à similitudine accidentalí, qvæ etiam in variis aliis rebus, qvæ ejus generis universalem conceptum haud habent, conspicua est. Quanquam & qvatenus communem naturam accidentis ejusmodi participant, universalia ea dici posse haud abnuimus. Sic pluma & ovum naturâ quidem suâ qvâ maximè differunt, dum tamen ambo alba sunt, eatenus communem naturam albedinis ea possidere non malè, puto, dicemus.

§. III.

Equidem ad hanc à nobis adductam naturæ similitudinem plures digitum intendere. Ut enim definitionem Dero-
donis §. i. notatam omittam⁹ de qua videbimus § 4. Mendoza
in Disp. à Sum. ad Metaph. D Log. III. S. I. §. 4. concedit, esse à parte
rei Universale aliquod fundamentaliter i.e. fundamentum ad effi-
ciendum Universale. Atque hoc fundamentum esse ipsam rerum
similitudinem. Fieri autem hanc, (seu elici potius jam existen-
tem) discursiva operatione mentis Petrum, Paulum &c. con-
ferentis inter se, ruminantisqve, in quo illi qvoad essentiam &
naturam suam convenienter, qvi dein conceptus & essentialis
similitudo, qvatenus in ipsis illis individuis fundatur, Univer-
sale dicitur. Qvò & facit assertio Bertlingii *in Seminar. Transl.*
Sap. Tr. III. c. II. Punct. III. §. 6. statuentis: *Universalitatis princi-
pium sive fundamentum esse essentiam rerum existentium similitu-
dinem.* Et eandem qvidem adesse in Universalibus etiam fa-
tetur Suarez. *Metaph. Disp. T. I. D. VII. S. II. §. 13.* & ratione ejus
(similitudinis sc. essentialis) inferiorem participare eandem defi-
nitionem fatetur. Verum §. 14. adjicit. *Hæc autem similitudo*

neg₃ necessaria simpliciter est ad nationem Universalis, neg₃ sufficiens. Intelligo autem non esse necessariam secundum actualē existentiam & relationem, quia non est de natione Universalis, ut actu sit in multis; nam si vera essent ideae Platonis, Universales essent ex se, quamvis actu nullum aliud Individuum existeret: & de facto natura Celsi & Gabrielis sunt Universales, sive in re sint plura eorum individua, habentia inter se predictam similitudinem, sive non. Si autem esset sermo de similitudine illa in potentia, sic necessaria est ad naturae Universalitatem, quia alias non posset intelligi natum, ut communis. Sed qvod illi fundamentum vocant, id nobis est ipsissimus conceptus Essentialis Universalium, ipsaq; proinde natura eorum. Mendoza illud autem, qvod ista rerum similitudo fiat, seu eliciatur discursiva operatione mentis, dum mens Petrum, Paulum, &c. inter se confert, admittimus, si intelligat, mentem, illam similitudinem inter Petrum, Paulum &c. observare, eamq; proinde ambobus tribuere. At si intelligat, mentem Petrum & Paulum conferentem, universalitatem seu similitudinem inter ambos demū formare & efficere, falsum est. Nam si mens etiam nunquam ambos inter se conferret, similitudo illa tamen inter eos remaneret, adeoque communem naturam possiderent, etiamsi nullus homo esset, qui ea de re cogitaret. Ad Suarezii qvod attinet, concedimus, non necessariò reqviri actualē existentiam universalis in pluribus, prout & s. preced. vidimus; Verum illud naturam Universalis non minuit, sed secundum naturam omnium definitionum ita se habet, qvæ nunquam de actu, sed potius aptitudine tali loqvuntur, qva natura illa seu res illa qvæ definitur, ita exhibetur, ut licet in uno etiam individuo sit, totam naturam ejus tamen ita exhauriat, ut, si possibile esset plura dari, nihilo minus eandem naturam habitura essent. Unde & qvæ porrò subjicit de similitudine in potentia, nostra prorsus facimus, & de hac sermonem nobis esse ex iis, qvæ haec tenus dicta sunt, liquidum est. Nec magis stringunt, qvæ pro insufficientia hujus similitudinis affert. scil. quia ex vi hujus similitudinis præcisè sive in actu, sive in potentia sumta, non concipitur aliquid ut unum com-

mune

mune multis, sed concipiuntur multa, ut similia inter se; universale autem ut sic, debet concipi ut unum. Nam licet per illam similitudinem concipientur plura ut similia inter se, ipsa tamen illa essentialis similitudo, adeoq; ipsum rō Universale, *Unum* quid est; atq; ita his duobus coniunctis, qvemadmodum nos in nostra definitione fecimus, vel ipso *Swarezio* judice, vera Universalis natura hinc resultat. Nec contrariantur qvæ subdit. Item qvia Universale ut universale concipitur ut indivisum actu, quatenus tale est, & divisibile & communicabile aptitudine: res autem, prout à parte rei sunt similes, in natura potius sunt actu divisa, & aptitudine seu fundamentaliter unibiles ut sic dicam, in una natura universi. Nam & nos universale ut actu indivisum quid concipimus. Nec contrariatur, res illas similes actu divisas esse. Licet enim, dum vel individua vel species subalternæ sunt, à se invicem divisæ existant, similitudo illa tamen, seu convenientia ipsorum inter se, in ipsis una & indivisa manet; imo si una & indivisa non esset, Universalitas esse desineret.

§. IV.

Firmatâ hoc pacto definitione nostrâ, restat, ut promissorum memores, §. i. allatas definitiones cum nostra conciliemus. *Aristotelica* prima & receptissima, qvòd *Universale* sit, *Unum in multis* falsa quidem non est, attamen consecutivum conceptum Universalis demum dicit, non primum & essentiale. Ideo enim *Universale* est *unum in multis*, qvia multa illa similitudinem naturæ inter se habent, & eatenus unitas qvædam in illis comparet. Sic homo est unum in multis individuis, qvia similitudo naturæ humanæ in individuis perspicua est. Nec longius abit definitio Franc. Bonæ spei, qvod sit *Ens reale, complectum, unum &c, apud inesse multis cum summullicatione*. Nam qvod *Ens reale, complectum* dicit, de eo quidem *Se &c. seqq.* videbimus. Hic saltem dicemus, similitudinem illam naturæ, qvam prodidimus, non fingi esse, sed ante & citra omnem meritis operationem esse, adeoque reale quid omnino dici oportere, licet non separatum à singularibus, sed in & cum iis existat. Qvod autem porrò dicit, *apud inesse multis,*

multū, illud ad ipsam hanc similitudinem naturæ collineat. Hoc ipso enim qvia similitudo naturæ inter hæc multa intercedit, multis inest, vel inesse aptum est. Sic natura humana universalis, & multis inesse apta est ideo, qvia multa illa similitudine naturæ gaudent. Denique dicit, *cum sui multiplicazione*, qvod iterum verum est, sed in inferioribus, speciebus nempe & individuis præcipue reqvirendum. In his ista multiplicari, h. e. similitudinem naturæ ad pauca, ad plura, & his iterum plura extendi dicimus. Mendoze definitio fermè ipsa met Aristotelica est, de qua jam antè dictum. Franc. Abræ de Raonis definitio, *unum aptum inesse multis univocè & divisim*, cum illa Franc. Bone Spei ferè convenit. De aptitudine inessendi conf. §. præced. Univocè verò dum dicitur (id est ut ipse se explicat, secundum nomen & essentiam nomine illo declaratam) hoc ipso similitudinem naturæ indigit, ob qvam unum nomen pluribus univocè competit. Et quando dicit *divisim* (id est autore ipso interprete: *ut natura Universalis debet dividi in sua inferiora & rotuplex fieri, quotuplicia illa sunt.*) rursus nihil aliud suppeditat, qvam eandem naturæ similitudinem, qvæ inter plura dividit, hoc est, in pluribus relucere potest. Definitio Universalis Timpleri itidem cum nostra conciliari & ex ea derivari facile potest. Sic autem verba ejus habent: *Ens universale est, qvod essentiam habet multis (scil. inferioribus sibiqve subjectis) communicabilem, seu qvod in multis per essentia communicationem existere apnum est.* Nam & nos per illa plura non nisi ipsa inferiora & Universali illi subjecta intelligimus. *Communicabilitas* verò vel *aptitudo inessendi in multis per essentia communicationem*, est illa similitudo naturæ de qua toties diximus, qvæ etiam qvia talis est, multis communicari dicitur. Berlingii definitio *Unitaria universalis* qvoad rem cum præcedenti ferè coincidit, adeoqve eodem modo conciliari facilimè cum nostra potest. Derodonie verò definitio Universalis proximè omnium accedit ad nostram, dum *Universale* appellat *Res similes*, seu *Res similes identificatas cum pluribus.* Deprehendit enim, non similitudinem, Essen-

Essentialem tantum fundatum esse Universalium, sed & per eam Universalia id esse, quod sunt. Sed *identificationis* mentione haud opus fuisset. Nam res naturâ similes esse, aut identificari idem est. Atq; ita lustratis definitionibus, cum quibus plerâque ceterorum coincidunt, id puto quodammodo patebit, quod ab initio propositum nobis fuit, sc. luculentius à nobis & clarius Universalis naturam traditam esse, eaq; quæ ab aliis vel minus aptè, vel certè obscurius indicata, simpliciori quodam & faciliori conceptu adumbrata esse. Id quod collatis ceteris definitionibus cum nostra facile patere posse existimamus, & nunc luculentius in consecutiis ipsis patebie.

SECT. III. *Consecutiva.*

SUMMARIA.

- §. I. Universalis Logici deductio ex Metaphysico, ut & Natura Generis, Speciei, Differentie, Proprietatis, Accidentis inde explicata.
- §. II. Genus Hominis: Substantia intellectualis, hinc areffitum.
- §. III. Natura Singularium per Naturam Universalium illustrata.
- §. IV. Cur Deus Ens singularissimum, nec Natura divinatio ne trium personarum Universale sit, exinde deducetur. §. V. Quomodo Universalia sint Entia realia? §. VI. Quomodo perpetua, & Universales propositiones aeternæ veritatis sint, ex eodem fonte explicatum.

Nunc hactenus exposita ad usum traducamus, ostendamusq; quomodo ex natura Universali Metaphysici hac ratione explicati, ea quæ apud Scholasticos ceterosq; Philosophorum fusè & intricatè sèpissimè tradita sunt: unde & *spinozas quæstiones de Universalibus* vocat Keckerm. in Syst. Syst. Log. L. I. c. 3. quām luculentissimè fluant, & nullo quasi labore colligi possint. Hinc enim constat de fun-

B 3

damen-

damento Universitatis Logici, quod Arift. 7. Met. c. 13. t. 45 definit, quod
 suapte natura de multis prædicari aptum est. Si enim quæras, cur
 universalia Logica apta sint prædicari de multis, nihil aliud
 responderi potest, quæm quia multis illis naturâ suâ similitudo
 quædam inest, quæ vel obinde quia illis inest, prædicari etiam
 & dici de illis rectissimè potest. Sic de omnibus individuis
 humanis nullam aliam ob causam dici potest & prædicari,
 quod homines sint, quæm quia omnes naturâ sua similitudi-
 nem quandam habent, quæ si in iis non reperiretur, nec di-
 ci de iis potuisset: cum dici presupponat inesse, ut passim
 Philosophi inculcant. Hinc & judicium ferri potest, de fun-
 damento & natura quinque Prædicabilium Porphyrianorum Ge-
 nus enim, Logicum scilicet de pluribus specie differentiis prædicar-
 tur in quid. Quia in illis, specie licet differant, similitudo
 tamen, & essentialis quidem ac quidditativa remanet, ob quam
 & quidditativè de his prædicari genus potest. Ita *bos* & *canis*
 specie differunt quidem, at in natura & essentiali similitudine
 animalis convenient utriusque, quam ob convenientiam, tam
 de *bove*, quam de *cane* dici rectissimè potest: quod sint *ani-
 malia*. Eadem essentialis similitudo, quæ generi respectu specie
 differentium, speciei respectu numero differentium seu invi-
 duorum competit, & ob hanc prædicari de iisdem potest. Ita *ho-
 mo de Petro & Paulo* rectè dicitur, quia utriusque essentialis simili-
 tudinem inter se quoad humanâ naturâ habent. Ex eodem fon-
 te *Differentia* natura perspici accuratissimè potest. Hanc enim
 vulgo ajunt esse, quam genus ad constituendam speciem determinet,
 & de suo subiecto prædicetur in quale quid. Ratio vero, cur diffe-
 rentia genus ad speciem constituendam determinare, & de suo sub-
 icto in quale quid prædicari possit, nulla alia est, quam dissimilitudo
 & discordia essentialis, quam differentia assignat, quam hæc res
 ab omnibus aliis dissentiat. Unde scitè Fr. Abra de Raconis in
Summa Philos. Log. Tr. I. c. IV. S. III Qu. II. Genera Concordia, &
 differentias discordia templo comparat. Hinc enim differentia
 determinare genus ad certam speciem potest, quia illud
 dicit & indicat, quod species illa præcisè cum nullo altero
 com-

commune & simile habet. Unde si quæratur *qualis res illa sit,* seu de conceptu, quo res illa dissimilis sit omnibus aliis, & ab his differat, non aliter quam per differentiam responderi potest. Idem in *proprio* obtinet, quod quia dissimilitudinem rerum, licet essentiam illarum consequentem tantam, dicit, etiam in *quale quid* praedicari potest, atque de iis affirmari, quales res istæ sint, quomodo comparatae, ut ab omnibus itidem distinguantur. Denique & *Accidentis* natura illustrari ex hac definitione universalis potest; licet enim in Accidente non dissimilitudo essentialis & necessaria, sed tantum extraessentialis & contingens sit. Revera tamen dissimilitudo quædam inter *hominem doctum & indoctum*, inter *hominem bonum & malum* est, ob quam ad quæstionem *qualis ille homo sit*, accidentiò quidem, at verè tamen, respondetur. *Homo ille est doctus, indoctus, &c.*

§. II.

Ex explicata à nobis natura Universalis elici etiam eleganter potest: quod vulgo recepta definitio hominis, *Homo est animal rationale minus quadrum*, nec animal sed substantia intellectualis sit Genus hominis. Cum enim omnis *ratio* universalis, adeoq; & Generis ratio in similitudine naturæ consistat, ut præced. Sect. exposuimus. Genus hoc Deus ipse insinuavit, dum se hominem ad similitudinem & imaginem suam condidisse, *Gen. I. v. 26.* afferit. Cum igitur Deus substantia intellectualis sit, homo verò similitudinem naturæ cū Deo, ipso Deo teste, habeat, genus ejus omnino erit Substantia intellectualis, quod genus cum Deo & angelis homo commune habet. At in eo ab utrisque differt, seu dissimilitudinem naturæ ab utrisq; habet, quod sit Substantia *intellectualis corpori alligata*. Licet enim & secunda Deitatis persona humanam naturam, atque ita & corpus assumserit, & angeli quandoque in corporibus apparuerint, diversissimam tamen in his rationem esse, ex Theologorum scriptis luculentissimè patet.

§. III.

Ex hoc ipso apparet etiam, in quo Natura *Singularis* consistat, scil. in absentia similitudinis plurium. Quod ideo & *singularis*

lare dicitur, qvafsi separatum & similitudine illa per se destitutum, & individuum, qvia suam naturam, qvâ tali est, in alia sibi similia dividere seu multiplicare non potest. Conditiones etiam individuantes, & Hæcceitas, ut barbaro termino appellant, hoc vel illud individuum astringunt, ut qvia in istis conditionibus individuantibus, & Hæcceitate illa neminem sibi similem habet, nec Universale, sed singulare sit. Idem nobiscum tradit Bertlingius, in Seminario Transnat. Philos. Tr. III. c. II. Pur. Et. III. §. 6. cùm ait: *Conceptus singularis fundamentum in re esse, rerum existentium dissimilitudinem, hanc enim ubi intellectus clare & adeqvatè penetrat, res ut existunt, adeqvatè cognoscit, hoc est ut singulares, quod fieri solet, quando pro ratione nostræ cognitionis res ipsas sibi representat in ordine ad omnia prædicata & connotata, & propria & communia, quæ propria hoc versu exponi vulgo solent:*

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen

Propria sunt septem, quæ non habent unus & alter.

Et omnino vix repieres homines, qvi licet in qvibusdam illorum, in omnibus convenient. In reliquis vero rebus, forma, figura &c. res distingvunt: tum si vel maximè similes sunt, tamen in eo unū singulare ab altero semper differt, quod una res non sit altera; adeoq; hac in parte certè aliquæ semper inter illas dissimilitudo intercedet. Estq; hæc res tam liquida, ut non tantum in humanis aut aliis ejusmodi majoribus, ut ita dicam, individuis dissimilitudo talis appareat, qvâ unum non sit alterum, sed externis etiam semper ita differant, ut in maxima etiam similitudine qvadam v. gr. faciei, &c. semper tamen aliquid in uno invenitur quod in altero non exstat. Imò inter tot folia ejusdem arboris, inter tot gramina ejusdem campi, qvantacunq; etiam appareat similitudo, nunquam tamen tanta est, qvin curiosus oculus dissimilitudinem aliquam singularium à se invicem annotare possit.

¶. IV.

Ex constituta etiam natura Universalis colligi facile potest, cur Deus Ens omnium singularissimum sit, qvia non tantum, ut ceteræ species monadicæ, sol, luna, &c. unus est; Sed & ne conci-

concipi qvidem aliter potest, qvam unus. Cūm repugnet, & contradictionem involvat, plura Entia summa & perfectissima dari, adeoque dari alia, qvæ naturæ similitudinem cum Deo involvant. Et hæc qvidem prærogativa Dei est omnium excellentissima, unde Numen in idolatras tantoperè iratum S. paginæ nobis proponunt, qvia idololatræ idolis similitudinem cum summo illo Ente attribuunt. Et diaboli ac totum humanum genus, ob affectatam cum Summo Numine similitudinem naturæ, ejusdem rationis, punitum gravissime est. Ex præsuppositis de natura Universalis concipi etiam potest multò distinctius, cur, qvod passim afferunt, *Natura divina respectu trium personarum Universale non sit*: scil. qvia qvidem unum naturâ suâ simile pluribus universale dicit, sed divisim his ineſt & de iis prædicatur. At essentia divina & similitudo illa essentialis una numero est in tribus illis personis, ita ut *Pater, Filius, & Spiritus S. non sint tres Dii*, qvemadmodum, *Petrus, Paulus & Johannes tres homines sunt*, sed qvia unam & eandem numero essentiam, unam & eandem numero etiam similitudinem dicunt, hi tres, unus tantum ille Deus sunt, modo certè & similitudine, cui par alia in tota rerum natura non exstat, ut rectius sit hic credere Deum esse talem qualem se revelavit: unum scil. in essentia, trinum in personis, qvam modum ejus indagari nimis subtiliter, qvem si Deus voluisset ut sciremus, certè eundem & perspicuè revelâſſet.

§ V.

Huc etiam referenda est, vexatissima qvæſtio, An Universalia sint Entia realia nec ne, de qvibus variè disceptantes, autores jam tum S. I. §. I. notati, aliqve tum Philosophorum, tum Scholasticorum passim, videri possunt. Statum controversiæ accuratissimè omnium exhibuisse videtur Löberus in *Fascic. Dissert. Log. D. II. §. 19. & seqq.* Qui qvatuor Philosophorum sententias exhibit (I.) Nominalium, qui *Universalia tantum voces esse, & nihil præterea realitatis habere statuerint*. (I.) Jesuitarū plerorumq;: *quill universalia esse in rerum natura ratione fundamenti, formaliter tamen non esse ante & citra mentis operationem,*

C

tionem,

tionem, judicent. (3.) Platonis & Platonicorum, qui asseruerint, esse quasdam naturas communes à rebus singularibus separatas, aeternas, ad quarum similitudinem & exemplar deinde omnes res singulares formatæ sint, & per quas id sint quod sint, quas ideas vocaverit. (4.) Denique Joh. Bapt. Monlorii Trombettæ, Franc. Abræ de Raconis, Stablii ipsiusqve Löberi sententia, quibus etiam accensendus B. Dn. Grebenitzius noster, ut ex cit. Dis. XI. Colleg, Metaph. §. 3. liquet. scil. Universalia verè realia esse, h. e. completem existere in rerum naturâ, ante & citra omnem mentis operationem, non quidem separata à singularibus, sed in & cum iis, cui & nos calculum adjicimus. Rationem hujus rei ex datâ à nobis definitione, descriptâqve Naturæ & Universalis liquidò apparet, scil. quia similitudo illa naturæ in rebus nemine cogitante se exerit, seu quia singularia ante omnem mentis operationem similia inter se sunt. Quia de re Franc. Abra de Raconis in Sum. Philos. Log. Tr. I. Sect. II. qu. 2. Ante omnem operationem intellectus Petrus & Paulus magis inter se conveniunt, quam Petrus & Bucephalus. Ergo à parte rei, & citra omnem operationem intellectus datur natura quædam communis & Universalis in Petro & Paulo. Consequentia est ita. Si enim à parte rei non daretur natura communis, sed solum per intellectum, à parte rei nullo pacto convenirent Petrus & Paulus. Quia non possunt convenire, nisi in natura communi. Ideoq; non magis re ipsa conveniunt, quam Petrus & Bucephalus. Antecedens vero ostenditur, à parte rei & citra omnem operationem intellectus minus differunt Petrus & Paulus quam Petrus & Bucephalus. Ita quisq; per se satis intelligit. Nec quisquam est ex adversariis, qui non gravem sibi putaret injuriam illicitam, si quis eum non magis ab eqvō & asino, quam ab alio homine re ipsa differre affereret &c. Deniq; similitudo inter duos partes albos est realis, atq; ideo convenit à parte rei, ante omnem operationem intellectus. Ergo datur à parte rei una albedo specie in ipsis duobus parietibus, in quâ convenient & sint similes. Quia non possunt convenire & esse similes in duabus albedinibus, ut due sunt, ac proinde tantum, ut in unam speciem coalescent. Ergo datur Naturæ communis & Universalis à parte rei ante omnem operationem intellectus

lectus. Ex qvibus liqvidò constat, qvod qvia & similitudo illa inter duo naturâ similia intercedens reale qvid sit, & tò *Unum* seu universale conjunctionem singularium horum in uno, seu universali aliquo involvat, Universalia omnino dicto modo realia sint, conf. Plur. Grebenitzium, cit. loc. Löberum loc. cit. Euastachium à St. Paulo in Pbilos. *Quadrip.* & Monlorium de *Universal.* Sunt igitur Universalia non tantùm in rerum natura natione fundamenti, qvod Jesuitæ voluerunt, sed & formaliter antè & citra operationem intellectus: qvia antè & citra intellectus operationem similitudo illa inest rebus formaliter, & intellectus noster eam non infert rebus sed in rebus comprehensam cognoscit. Qua de re scitè Monlorius cit. loc. cap. 6. Non propterea, qvod nos vera putabamus te album esse, tu albus, sed propterea, qvod tu albus, & nos, qui id enunciamus veri dicimus. Sic igitur non propterea qvod mens refert hominem ad Socratem & ad ceteros homines, Socrates homo est, sed qvia Socrates homo est, ium Plato & alii multi, mens commode hominem ad multa refert.

§. VI.

Denique natura hac Universalis demonstrata: apparet etiam; qvomodo Universalia, qvod ajunt, perpetua, & Universales propositiones æterne veritatis sint. Perpetua enim tantùm Universalia sunt, qvia tamdiu durant, qvamdiu singularia aliquva existunt, & his qvamvis variè mutatis, ipsa licet in aliis singularibus constant & perdurant tamen; qvia similitudo naturæ eadem manet. Sed si omnia individua extingverentur, universalitas etiam actu periret. Nec posset similitudo amplius dici, si deessent, qvibus similitudo illa inhæreret. Ideò & Universalia, ut §. præced. vidimus, non sunt separata à singularibus, sed in & cum illis: adeoque illis non existentibus nec existerent, & si illa perirent, & universalia perirent. Interea tamen essentias rerum æternas dicimus, vel naturam, cuiusque rei ab æterno talem fuisse, qvalis nunc est, v. gr. Homo est rationalis, æternum verum fuit, sed hæc omnia in intellectu creantis, veluti rectè D. Thom, I. P. Qu, X. Art. 3.

C 2

ad.


20 *Disputatio Metaphysica de Natura Universalis.*

ad. 3. & de Potentia Qv. 3. art. 5. ad. 2. ubi ait: *Quidditas creatiæ antequam esse habeat, nihil est nisi foris in intellectu creantiæ: ubi non est creatum, sed creatrix natura.* Ac licet nulla creatura ab æterno fuerit, individua singula tamen in intellectu divino in ejusmodi similitudine combinata jam fuere, qvæ in tempore tandem in iisdem se proditura esset. Sic omnis Homo est rationalis, æternæ veritatis est Contradictionem enim involvit hominem esse, & illud non habere, per quod homo homo est, rationem sc.; veluti & si homo rationem non haberet, nec homo esset. Ab æterno igitur veræ sunt, qvia similitudinem essentialē ab æterno habuerunt, & erunt semper veræ, qvia licet singulare pereant, veritas tamen harum constabit; ita licet homines omnes intereant semper tamen manebit verum: *Omnem hominem rationale;* licet nullus amplius homo existat. *Qvia statim ubi iterum existere aliquis incipit, iterum verum erit, eum hominem esse rationale,* qvia natura humana necessariò rationem involvit, & hac deficiente natura humana quoque deficit Atque hæc etiam de universalibus dicta sunt. Tu vero B.L. faveas porro conatibus nostris, atque ita velim statuas, nos favore tuo excitatos, modo rerum nostrarum ratio id permisiterit, hoc porro operam datus sedulo, ut qvæ ab aliis fusæ & implicate tradita sunt succineta. qvadam brevitate & perspicuis qvibusdam conceptibus allatis porro enodemus.

SOLI DEO SIT GLORIA.







1

B.I.G.

Black

White

3/Color

Red

Magenta

Yellow

Cyan

Green

Blue

METAPHYSICA,

IURA
SALIS,ter annuente,
*late Philosoph.**n est, Academiâ,*orum Majori,
subjicitS
ESENFELD,
I S,
M A G I S T E R ,
N T E
C O B Ö C K E R ,
rt.
Studiofo,
M D C X C I .*COEPSELII, Acad. Typogr.*

Farbkarte #13

